

distinguantur. Nec vero haec in mancipia lenitas, iustitiam potius dixeris, abhorret ab ingenio ANTONINI. Eundem enim scimus voluisse seruos, non nisi in ipso facinore deprehensos, necari (t). Sed haec ὡς ἐν παραδῶ. Nunc eo reuertor, unde disputatio egressa, reliqua iam ARNALDI argumenta propositurus.

Senatum igitur, pergit Noster, non cogitasse de honestate feminarum, patet porro ex his PAVLLI verbis (u): *Si patrona seruo liberti sui se coniunxerit, etiam denunciatione conuentam ancillam fieri non placuit, & ex his (x): si mater seruo filii se iunxerit, non tollit Senatusconsultum Claudianum erubescendam matris etiam in re turpi reuerentiam, exemplo eius, quae se seruo liberti sui coniunxerit (y).* At, si quid video, his ipsis in verbis Iurisconsultus clare ostendit causam cur ad utramque speciem non pertingat Senatusconsultum. Scilicet cum ab una parte honestati non esset consentaneus amor patronae, vel matris, ab altera contra, eidem honestati & reuerentiae aduersaretur quam maxime, eam filii aut liberti seruam fieri, Romani putarunt illam hac vinci, ideoque impunem maluerunt esse feminam oestro illo percitam atque abreptam, quam naturalem στρογγυλῆν laedi, aut debitam reuerentiam minui. De pietate autem filiorum in matres, quominus hic fusius dicam, prohibet communis omnium populorum, qui paulum modo

Ponere duritiem coepere suumque rigorem,

hac

(t) L. 53. §. 3. D. de Legat. I. L. 96.
D. de V. S.

(u) Recept. Sent. II, 21. §. 13.

(x) ibidem §. 16.

(y) De coniectura ARNALDI, legentis: quae se suo seruove liberti coniunxerit, dicere iuper sedeo, cum ipse eam non magni facere videatur.

L. 53